



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 15. De Gadibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Cuniculis olim cærebant, sed illati mas & fæmina sic creuerunt, vt indigenæ ab Augusto opem implorare coacti sint, vrbibus suis penè suffossis.

MORES. Nudi æstate incedebant, fundâ cingebant caput, fundâ renes, tertiam manu ferebant; ad minimos, magnos, & mediocres ictus. Primos vsos esse fundâ putat Vegetius; perperam, illam enim à Phœnicibus fundæ auctoribus acceperant. Cibum puer non attingebat nisi indicatum à matre appetiisset. Nec auro, nec argento utebantur, nec patiebantur ad se inferri. Primi omnium laticladium induerunt, *Strabo*. De nuptiis eorum legatur *Diodorus Sic.* lib. 6. Feros & syluestres fuisse docet *Florus*.

POLITIA. *Strabo* eos à *Rhodiis* oriundos putat, qui eò post bellum Troianum appulerunt. Eò quoque venire *Bæoti*, vt suprâ inuimus; tum *Phœnices*, à quibus fundarum vsus accepere. Demum à *Romanis* domiti sunt per Metellum qui *Balearicus* dictus est, eoque Colonia Romanorum trium millium ex Hispaniâ tracta est.

§. 14. De Pytiusis Insulis.

A frequenti *Pinu* nomen accepere. Abundabant pecore, lanificiis exquisitissimis, & saccaro. Nullos cuniculos gignunt. Maior Ebusus serpentes non habet, quibus minor *Ophiusa* dicta infestatur, idèoque deserta est; itaque incolæ eius *Eubustanâ* humo spatium cingebant, vt hîc tuti viuerent.

§. 15. De Gadibus.

NOMEN huius Insulæ multiplex. 1. *Gadira*, hoc est γῆς δῆρα, collum terre, aut à filio Neptuni fratre Atlantis. 2. *Erithia*. 3. *Aphrodisias*. 4. *Iunonis* ab indigenis. 5. *Cotyusa*, ante Tyrorum aduentum, ab oleastris. 6. denique *Tartessus* à Romanis.

QUALITAS. Fuisse fertilissimam arguunt fabulæ *Geryonis*. Hîc certè lac sine sero, & nisi pecori sanguis mitteretur intra 50. dies rumperetur; quod de *Erithiâ* minore insulâ tradit *Strabo*.

POLITIA In eâ regnasse feruntur *Argantonius*, & *Geryon*. Postea *Tyriis*, deinde *Pœnis*, denique *Romanis* cessit: quibus dedit *Cornelium Balbum Garamantum* victorem, & *Columellam* rei Rusticæ scriptorem.